

domini applicanda curavi; quibus adhibitis dum nullum leuamen insequeretur, neque aluus laxa fieri coeperat, ea, quae dixi, ita repetii, ut magna copia saburrae et fecum induratarum post vnam alteramque horam excerneretur. Haec, die quarto morbi facta, me iterum ad disquirendum aegrotuli statum impellebant, ex qua disquisitione intelligebam, morbum quidem non nimis, sed ruborem faciei augeri, genas tumescere et maxillam inferiorem superiori ita adpressam esse, ut nullo pacto moueri possit. Inde ex matre quaesivi, quinam dentes iam erupissent; (nulla enim erat aperiendi oris facultas) quae cum respondisset, molares adhuc in sinistro latere deficere, ea ex re morbi et febris causam facile apparere existimabam. Quum vero ab initio omnia medicamenta interna, ex fonte pharmaceutico hausta, respuerentur, vel saltem maxima cum vi, et quidem paucissima, in os ingererentur, adeoque febris aucta omnis vis sanguinis et materiae morbosae versus caput conuerteretur; non incongruum putabam, vesicatoria pedibus applicare, quibus materia morbi derivaretur. Neque vero ista, quanquam paullo tardius vim suam exerebant, sine omni effectu applicata sentiebam. Interim aluum clysmatibus oleosis apertam seruabam, ideoque potum diluentem et antiphlogisticum suadebam. Quae quidem quinto et septimo morbi die suscepi, et quanquam morbus non plane tollebatur, tamen aliquo modo leuabatur, ita ut appetitus plane prostratus sensim increfceret. Nox insequens erat paullulum tranquilla, spasmus maxillae inferioris minuebatur, adeo ut nunc os internum, etiamsi quadam cum difficultate aperiretur, disquiri, et dentes molares in sinistro latere per gingiuas tangi possent. Equidem incisionem gingiuarum institui optabam, cum praeuiderem, non satis virium ad prae-

B

standam